

# **Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 82**

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si venerabilia aecclesiarum dei loca alicuius doni incremento ditare vel sublimare studuerimus, nobis animaeque nostrae ac regni statui id valde profuturum esse minime dubitamus. Quapropter omnium Christi fidelium nostrorumque presentium scilicet ac futurorum neverit industria, qualiter nos divini amoris instinctu pro remedio animae nostrae cuiusdam abbatiae Mimeleua dictae inopiam considerantes fratrumque ibi deo famulantium penuriam inspicientes hoc modo eis providere decrevimus, ut eandem abbatiam Heroluesveldensi abbatiae tradamus, ea videlicet ratione, uti ex Arnoldi eiusdem abbatiae abbatis suorumque successorum industria ac eiusdem abbatiae copia iam dictorum fratrum relevetur inopia. Hoc itaque diligentissime intuentes predictam Mimeleivensem abbatiam Heroluesveldensi abbatiae eiusque venerando abbati Arnaldo suisque successoribus in integrum cum omnibus eius pertinentiis sive appendiciis, terris videlicet cultis vel incultis mancipiis utriusque sexus burcwardis villis aedificiis silvis venationibus aquis aquarumve decursibus molendinis piscationibus pratis pascuis paludibus viis et inviis exitibus et redditibus quesitis vel inquirendis seu cum omnibus quae quolibet modo dici vel nominari possunt utilitatibus per hoc nostrum imperiale preceptum concedimus atque largimur et de nostro dominio in eius ius et dominium omnino transfundimus, ea quippe ratione, ut predictus Arnoldus abbas suique successores de prenominata abbatia eiusque pertinentiis dehinc liberam habeant ad usum aecclesiae potestatem quicquid eis placuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Et ut haec nostrae imperialis donationis auctoritas stabilis et involuta omni permaneat tempore, hoc preceptum inde conscriptum manu propria corroborantes sigilli nostri impressione subter insigniri iussimus. Signum domni Heinrici invictissimi imperatoris augusti. Guntherius cancellarius vice Ercambaldi archicappellani recognovit. Data non. feb. indictione XII, anno dominicae incarnationis MXV, anno vero domni Heinrici secundi regnantis XIII, imperii eius I; actum Franconevert.